m

, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang

In Fest. Epiph.

com.

sequ.

com.

27 Sabb

[redacted]

10 | 15 c. | 15 –
  10
———
  50
  50

Ist angefangen
und nicht fort-
gesetzt worden

PALMARIA
INTER FATALES CUPRESSOS.
ENATA.

Virtutibûs, meritîs, & Sapientiâ

Perillustris olim Clarissimi & Admodùm Reverendi DOMINI.

DM. ADALBERTI WOLSKI,

S. Th. Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam CUSTODIS. Contubernij Staringeliani Provisoris. In ipso ingressu ad supernam Hierusalem

ADORNATA.

Ac

Dum ei Iusta Parentalia in Eccl: Colleg: S. ANNÆ Cracoviæ mærentibûs Academici Senatûs Ordinibus non sine lachrymis persolverentur

Per

M. MARTINUM SZUMLINSKI

Philosophiæ Doctorem & Professorem Lugubri elogiô

CELEBRATA.

ANNO DOMINI MDCCXV. 1715

Die xvii. *Mensis Aprilis.*

CRACOVIÆ,
Typis Ioannis Domanski, S. R. M. Typographi.

PALMARIA
INTER FATALES CUPRESSOS
ENATA

JMmortalis mortalium gloria,
de morte vitam,
clariorem de umbris lucem,
de fatali Cupreſso feſtiva legere Palmaria.
Aut Deus ille, aut vicinus Dijs,
cui hæc non contrariantur contraria.
Grande hoc paradoxum eſt:
mortalem quæſtio tanta refugit animum
ad probandum difficilis:
cùm priùs in ſua reſolvatur homo principia,
antequam principium reſolvat quæſtionis;
& vitam terminari videat,
priuſquam terminos inveniat.
Divinum ſanè opus; tam diſſona conciliare,
Herculeus labor, nihil hìc elaborat:
Sit licèt validus, contra tamen vim mortis ne quidquam valet.
Eheu Fatorum vices!
Siccine inter fortes, nemo fortis?
inter heroes, nemo heros:
robur nullum contra robur?
Advertite mortalium animi,
Vnus contra omnes,
omnes contra unum nitimur:
victrix tamen palma uni tribuitur, omnibus denegatur.
Vani conatus, vitam ſibi prorogare velle,
quam & natura, & mors abbreviare conatur.
vana ſpes, ſperare victoriam, cum victa pars jacuerit;
et quid dicis Palmaria?
Feſtiva hæc ſolennitas, ſæcula poſcit, páucîs non contenta luſtrîs:
ut in theatrum Orbis prodeat, rarò evenit;
rarior tamen Myſta, qui celebret.
Aras in ſepulchrali exarat marmore:
illuſtres inter umbras accendit ignes:

O ſæva

O ſæva Parcarum inventa!
videre hæc aliter non parcunt lumina, niſi clausîs luminibûs:
loqui non permittunt, niſi cùm lingua obmutuerit.
caleſcentes ignibûs denegant aduri ſpiritus,
niſi poſtquam lethale frigus membra occupaverit.
Nimirum
Auguſta hìc nomina, anguſtiarum omina.
Nobile genus, ignobile;
Illuſtres cæræ, cæca mortis involvuntur caligine
& niſi mori neſciîs decorentur virtutibûs,
niſi magnîs vitam mereantur meritîs,
Omnia, quæ ſymbola gloriæ Orbis poſuerit,
Somnia dicas neceſse.
Hi ſunt perfectionis gradus,
Viva immortalitatis argumenta,
Virtutes. Merita, Sapientia.
Fortunatum, fatorum non tangunt infortunia,
qui extra labilis orbitam fortunæ poſitus,
hîs ſuperûm donîs non orbus,
quadratum agit Virum contra pericula.
Hæc Appiam excellit via;
quâ qui Victor ingreditur, vinci ampliùs non expaveſcit.
Ridet inter luctus, non gemit inter gemitus;
triſtes lætus Nænias refugit,
aureîs vectus curribûs ſanctiorem ad Hieruſalem,
glorioſus Triumphator.
Multi hâc ſanè currunt, ſed unus bravium accipit

Perilluſtris olim, Clariſſimus & Admodùm Reverendus Dominus,

D. M. ADALBERTVS WOLSKI,

S. Th: Profeſsor, Collega Major, Eccleſiæ Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam CUSTOS, Contubernij Staringeliani Proviſor.

Aſt grande piaculum eſt, pio, dicere olim,
quem nec modò mortis tenebræ tangunt:
imò lux illi major ab umbris;
claritas à caligine ſplendidior;
poſt lugubrem occaſum, ortus amænior;
poſt lachrymarum imbres jucundior ſerenitas.

Nempe

si in constantem Virum non cadit fortuna,
certè in virtuosum fatorum nil habet invidia;
in emeritum Parcarum mæror;
in sapientem nullum jus relinquitur Libitinæ.
Militia vita hominis super terram,
talem Illum ad Castra mundi hujus evocavit,
ut priùs heroem videret, quàm militem:
ita quippe cursum suum in pugna peregit,
ut ad laureas victor excurreret
Magnus Fatorum Triumphator.
Exitus acta probat:
Et qualis quantusq; sit aliquis,
Vita tota disputat,
sed ultima vitæ concludit periodus.
Memor hujus WOLSKI fuerat:
qui nihil magis timebat, quàm mortem timere;
securus de sua innocentia:
cujus scutum à teneris indutus,
nec in senio deposuit.
Fortis Athleta,
aream pugnæ eligere noluit aliam,
nisi, quæ triumphos parit Regibus,
Scholam Regiam.
sub luco Academico meliorem lucem
quàm in Principum aulis sperando,
licet aulis optatissimus.
Et benè
immortalis esse cupijt, laurum quæsivit vertici,
quæ fatorum expers, eorum fulmina repelleret.
Quantos sub hac numeravit triumphos!
exinde metiri licet
cum in morte quoq; legit Palmaria.
Mundi sapientiam, stultitiam reputans,
sanctiorem præfetulit Philosophiam;
benè vivere, cælum respicere, & mortem meditari.
Multùm sanè in Stoa hac verus profecit Philosophus,
Cum ita mori didicit, ut mortem effugeret.

Abijt

Abijt non obijt:
et qui peregrinum se noverat,
iam hæres compræhendit Patriam.
Lustrabat tot lustris sidera Mathematicus:
Domuit monstra Zodiaci,
ne à domo sancta se deterrerent.
Non paucis speculabatur annis Astrologus,
quâ rectiùs Cælum pergeret;
sed rectiorem non vidit viam,
quàm, quæ Virtutibûs, Meritîs, & Sapientiâ ornaretur.
Hæ, quod negatum plurimis, effecêre uni,
ut sibi in ingressu supernæ Hierusalem
applauderet olympus.
Die Dominico in meliorem vitam fecit metaphoram,
qui totus superstes erat Domini.
Festivitate Palmarum superis associatur,
qui de fastu mundi satisq; victor,
Palmaria semper expectabat.
*Didicit & post mortem triumphis coronari
qui legitimè in vita certavit.*
Quot labores, tot prælia sustulit:
quot disputationes, tot certamina:
Amara alijs pugna, illi dulcis;
sudores salsi, nectar;
& in otio operosum otium.
Hector alter nullîs fractus periculîs;
cui labor ipse cibus optimus,
ut saginaretur ad gloriam.
Purpuram ferre meruit,
sed murici decus addidit,
gemmis sudoris depingendo.
Decanus Facultatis Philosophicæ
inter decumanos Stagyritici Euripi fluctus
Fortunatior Nauclerus
securam semper tenuit Classem Sapientiæ.
Mitis Ille; & ad ungvem CANTII imitator;
purus Academicus:
vel zelo fidei ADALBERTI Patroni,
nomine & re ADALBERTVS.
Benè est, quòd illum Novodvorsciana Pallas

 primò

primò ad suam evocavit âream:
Murus hic aheneus est,
Ut frangeretur, arietem necesse erat admovere;
sed qui Colchicum superaret pretiô:
et certè arietavit WOLSCIVS
Agnus erat.
Hæc symbola decorabant Magistrum:
magni res momenti est:
secreta latent.
Agnus albus erat,
quia Professor nescivit maculam ignorantiæ
totus candidus, quia sine fuco candorem adamavit:
innixus clauso super libro,
dignus repertus, qui librum aperiret
& legisset trophæa,
animos quoque deuincendo:
Quippe amor omnium fuerat
nec amari non potuit.
Magnus ingeniô consiliô, prudentiâ.
His traxit decoribus
Illustrissimum D. CZERNY Castellanum Sandecensem,
ut curæ suæ carissima commendaret pignora.
& benè instituit, quia in decus Reipublicæ:
tum vterque dignus evaderet, ut se honores ambiant,
& ultrò fasces insinuent.
Provisor non sine providentia,
Procurator non absque cura,
providebat, procurabat:
totum se publico effudit commodo, privatum fugiens.
qui se publicum fatorum fore Victorem speravit.
Theologus, Philosophus, Mathematicus,
quidquid docuit, dixit, scripsit,
sit licet scriptum in pulvere scholastico,
perennitate vincit sculpta in marmore:
quia Musis dicatum immortalibus.
Alter Apollo.
extra Delphos, Lycæo pandebat oracula:
sed quæ ambages fugerent, sequerentur claritatem.
dignus post fata coronâ gloriæ
qui superstes ad sceptra quoque Rectoralia
elector maturô judiciô album dedit calculum.

Tuo

Tuò Nomini

Magnifice Perillustris & Admodùm Reverende Domine

D. M. MARTINE OSLINSKI,

S. Th: Doctor & Profesor, Ecclesiarũ, Collegiatæ S. ANNÆ Decane, Prosovicensis Præposite, Scholarum Novodvorscianarum & Contubernij Hierosolymitani Prouisor, Curate Zielonecensis, Almæ Vniversitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissime

RECTOR.

Monumenta gloriæ scribit in marmore:
latet hic etiam sub cinere ignis,
& de mortuali silice amoris erumpunt flammæ.
Vive diu felix! precatur, qui è vivis abijt,
& de fatis triumpha.
Tumulo Ille repositus, Tuo petit in pectore vivere:
verus amicus, quia usque ad aras.
Sed et Vos è supremo Cælorum apellat foro,
licet inde nulla alijs apellatio:

Perillustres, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. GABRIEL PROFECKI,

S. Th: Profesor, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatæ S: FLORIANI ad Cracoviam Canonice, Zebrzydoviensis Præposite, Michałoviensis Curate, Sandecensis Cancellarie.

D. M. MARTINE KVROWSKI

S: Theologiæ Profesor, Collega Major Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam Canonice.

Vltimæ voluntatis ejus Fidelissimi Executores.


Non ita cessit è limine, ut eliminetur è memoriá


 sed hæsit

ſed hæſit benè pectori etiam poſt fata,
qui vivus ſemper juxta Cor veſtrum erat:
iam quidem ille Coronam tulit Iuſtitiæ in cælis,
Veſtra cura eſt, non ſine curis,
quòd in terris quoque trophæa legat ad feretrum.
Sed iam ſudat marmor in lachrymas
Grandem deplorando Virum.
Lugete Muſæ: luctum amor, & dolor exprimit.
Magnus Pater Academi cecidit:
Clarum ſtoæ lumen extinctum:
Decus omnium ſpoliatur:
Magnus jacet.
Sed Fallor!
Imò gaudete Muſæ: luctus exulat & lachrymæ;
mors victa jacet, victrix vita manet;
atris ſplendor umbris diffunditur:
cum inter mortales Cupreſſos
Virtuti, Meritis, & Sapientiæ
eriguntur

PALMARIA

PERMISSU MAGNIFICI
DOMINI
RECTORIS.





Lect. 1, Noct. de ...
fer. *Duæ Miss.* C. ...
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ...ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia*, Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. *25. Maÿ.*) ... CA. Vesp. à Cap. ...

SS. Mart. ...